IN
TITVLVM DE TESTAMENTIS,

Siue de forma & obseruationibus testandi,

Tractatus ad Methodum.

Petro Coruesio authore.

Ad Cosmum Medicem, Reipub. Florentinæ Principem clarissimum.





2

LVGDVNI,
Apud Theobaldum Paganum.
M. D L I.

Illustrisimo ac Magnanimo DN.

Domino Cosmo de Medicis secundo, Reipublicæ Florentinæ Principi dignißimo, Petrus Coruesius

S. D.



VEMADMODVM ratione & experimēto velut succesione quadam, per omnes ætates comprobatum est, Princeps excellentisime: vt quę æquali proportione per singulos actus hominū, & per operationes quælibet diriguntur, illa omnia præstantiora & digna magis, exhibeant sese, quàm quæ econtra àb hoc ordine, & ab hàc lege in contrarium deuiant: sic vt iuncta vel associata aliqua aliquibus in

vniuerſum, per ſingula genera, & ſingulas rerum ſpecies conueniant, iuſta ac probabilia ſint: rurſus alia cum aliꝭs diſſonent, diſconueniant, inepta & turpia iudicentur. adeò vt pateat manifeſtè iuxta prædicta, non apprimè omnibus deberi omnia: ſed ſolos illos, qui claris ſuis muneribus, virtutem & literas honeſtant (vt conuerſus ad hæc interim, obmittam cætera quæ noſtræ tractationis non ſunt) quæ virtutis & literarum ſpecimẽ referant, deceant verius, quàm cum rudibus atque ignauis inæqualiter & infeliciter tractare illa. Vitio nequaquã mihi adſcribendum putaui, ſi & in hoc ſtudiꝭ vel ſcribendi genere, quod in dedicatione ſuorum monumẽtorum eſt poſitum, illum mihi ad tutelam, patrocinium, & celebrationem proponerem, qui à cla-
riſsimo

risſimo ſuę gentis ſtipite, influxum vigorem, ad omne virtutum genus nedũ retinet, ſed auget in dies magis, prout & prouidentia ſui magiſterij edicit ac declarat vndique, in quo tam dignè pro ſumma ſua ſapientia præſidet, vt pacatis ad iuſtã æquitatem diſsidijs & cõtrouerſijs ſuorum ciuium omnibus, ſic viuãt, vt cæteris iam nationibus in exemplum & ad imitationem bene inſtitutæ Reipublicæ poni poſsint: velut Moderator ipſe & Princeps, ob raras & præclaras eximij animi ſui dotes, inter ſui ſtatus Illuſtres, contemplandum ſeſe, ac decorandum exhibet. Quòd ſi prætermiſsis reliquis, quæ varia & multa eſſent ad recenſendum, magnanimitatem & cãdorem ingenij veſtri metiamur, illis affectibus maximè, quibus literatos & literas cuiuſcunꝙ eruditio

IN TITVLVM

DE TESTAMENTIS, TRACTATVS AD METHODVM.



ESTAMENTI *siue testametorum nomen, voce quidē vel prolatione vnicum, significato tamen & suo sensu multiplici, illam nobis referre potest attestationem seu expreßionem testantium interdū, qua (consideratione mortis) declarant distribuēdo bona propria, à quibus, quid, quantum, & qua lege insuper haberi & poßideri post se, ea volunt. Secundùm quod ab aliquibus aliâs dictum est, Testamentum ex eo appellatum, quòd testatio mentis esset.[1] Vel aliter, quòd testamentum, sit voluntatis nostræ iusta sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri velit.[2] Aliquādo*

1 Institu. de testa. §. j.

2 Vlpia. in l. testamentum. ff. de testa.

ſtantium elogia, magis propriè teſtamentum dici, in quibus exhæredatio, inſtitutio, ſubſtitutio & eiuſmodi continerentur, quomodocunque fiat, ſiue per ſcripturam, ſiue per nuncupationem: cuiuſmodi ad differentiam codicillorum dictum eſt, Non codicillum, ſed teſtamentum auiam veſtram facere voluiſſe, inſtitutio & exhæredatio facta probant euidēter.[3] *Quemadmodum & ob perſonarum teſtantium diſsimilitudines varias, aliud militare teſtamentum dictum eſt, aliud Paganicum, eorum qui vrbem incolunt, & aliud ruſticorum: patrisfamiliâs, pupillare & ſimilium, per totidem gradus, ad quot diſsimilitudo aliqua vel differentia ſubeſſet. Hîc verò an teſtamenti definitio conueniat, ſimpliciter & abſolutè, propriè vel impropriè (quando titulum de teſtamentis tractandum arte, nobis hoc loco proponimus) ita vt vltra*

3 Diocle. et Maximia. aa. in l. non codicillum. C. de teſta.

tra prædicta, constituenda hoc loco testamentorum differentia alia sit, operæpretium est inquirere. quò nec huius tractationis principia nos lateant interim, sed sciatur magis, quid illud sit, de quo agimus. Si quidem igitur in præcedentibus dictum est, testamentum dici magis propriè, vbi decernit testator de facultatibus & substantia propria, exhæredãdo, instituendo, quid hic vel ille post sua fata, & qualiter habere seu poßidere debeat: hoc autem titulo, de testibus testamento adhibendis agatur, de nuncupatione hæredum simplici, quibus verbis exprimere hanc, vel non exprimere sit conueniens: qualiter per scripturam, & qualiter per nuncupationem, quo ordine, ac de eiusmodi accidentibus reliquis, per quæ nec exhæredatio, neque institutio hæredum procedit, seu collatio bonorum aliqua, propter quæ, similitudine

præcedentium, testamenti nomine vocitari debeant. Sub testamentorum autem confectione, cùm contineatur actus seu factum multiplex, tam ob differentias & dißimilitudines partium præcipuarum, quàm per variationes cuiuslibet demum: sitq; (quatenus ad testatorem attinet) mētis munus hoc, quicquid est, ac liberale seu munificum præterea (licet coactum fortè, propter neceßitatem ineuitabilem imminentis mortis) vbi functione hac, vel hoc opere, facultates vel substātiam omnem propriam distribuit, elargitur in suos & extraneos vndequaque, plus minus pro arbitrio. Si quidem tractantibus seu sancientibus aliâs de his, existimare iustum fuerat, ex testante in vniuersum per omnem suam speciem ad hæc, testationes varias per singulas sui partes posse effici, & sic, vt non ad perfectionē vel ad modum

legiti

legitimum, & qui cæteris esset iustior, vel satis pro hoc facto integer, ducerentur omnes: vbi ad arbitrium & voluntatem testantium indifferenter hæc essent relicta. sed successurum magis confusione quadam, vt & imperfectorum ac perfectorum varius & multiplex esset ad hoc iudiciũ gradus. Quemadmodum & vbi testatum esset, per cupidos animi affectus, qui animis hominum ad acquisitionem bonorum inhærent sunt innati, propter vrgentem nostram necessitatem ad illorum vsum, dici non debet, cùm in conspectu sit omnium, quantæ hinc discordiæ, quantæ inde rixosæ lites, & mala innumera orirentur: confingentibus in dies noua testamenta aliis, aliis per vim transigentibus omnia, per dolos & fallacias, ita vt ratione & veritate expulsa, ad violentiam negotium hoc omne, magis quàm ad iustã æquitatem

reda

redactum dici posset: Quo fit ut cùm talibus incommodis renascẽtibus quotidie, pro ratione, ad tranquilliorem hominum vitam, succurrendum iudicatum esset, nimirum si ad huius iuris sanctiones, & legum harum edita ventum est: testantibus prouidentes interim, velut præscriptione quadam regularũ seu normæ cuiusdam, dum testatur, seu per singulas huius facti differentias, quid obseruare conueniat, quid æquum, & quid non æquum sit: cuiusmodi & propter ea quæ ex certo vel incerto testantium decreto, imminebant ad lites & quæstiones inter successores pericula, via alia & sibi conuenienti (utpote cum per ignorantiam veri facti id accideret) similiter & ad hæc, est legis prouidentia subuentum. Ita ut quacunque parte suspicio aliqua incommoditatis prouenisset, ad illam regula, & legis animaduersio conuerteretur.

quo pacatior sic & tranquilla magis vigeret cõmunis hominum vita. & quanquàm legibus his, exhæredationes & institutiones non procedant, quæ sunt ad effectus testamentorum, partes magis propriæ, quia tamẽ (vt prædiximus) tutum non erat satis committere, vt animaduersis & præuisis incommodis, hæc citra debitum suum ordinem prodirent, non ab re, & si velut in caput totius huius tractatus sint disposita, sic vt solennitatibus & obseruationibus his prætermißis, aut nihili factis, reliqua citra hoc velut ornamẽtum, ad plenum legitima non sint: non ab re inquam, & si sola hæc præter cætera his titulis fuerint honestata, quasi de eo quod inter testandum seruare vt plurimũ est necesse, pro forma: vel sic vt in principio hoc vel capite collocatus, significatum suum & suam vim communicet sequentibus membris, adeò

vt

vt omnia sub testamenti nomine veniant, & comprehendantur: licet distributa per partes, singulis vltra communem, & titulus alius proprius sit adiunctus, ad specificam magis cuiusque, seu singulorum indicationem. Verùm & si de testandi modo vel forma, aut obseruationibus vel solēnitatibus quomodouis, agendum est, obmissis antiquorum differentijs de his hoc loco, quibus sua testamenta opere & facultatibus varijs, talibus nominibus distinguebant, vt aliud calatis comitijs effici diceretur, aliud per procinctū, per æs & libram & eiusmodi: si quidem & talia testamētorum vocabula, per dissuetudinem antiquata sunt, & desinunt nostris legibus in vsu esse, more ac forma alia introducta pro illis, quæ aptius nostro viuēdi genere conueniat, & sit probata magis: vel ex eo, quod ad tuitionē facti vel operis huius

omni studio intendant, quò iuxta simplicem & puram testantium voluntatem, procedat ac dirigatur quicquid negotij huius est: arceantur inde fraudes, doli, fallaciæ & nedum eæ manifestæ, sed & vmbræ ac præsumptiones earum, ne (quantum per prouidentiam hanc fieri potest) aditus vllus pateat animis maleuolis ac peruersis, ad aliquid molliendum, quod decreta seu vltima hæc defunctorum elogia vitient, corrumpant, inuertant, vel alia faciant, quàm à natiua sua origine sunt producta: propter quod & teste valido, ac numeroso munita, & horum signaculis circumsepta, auribus Principum publicata, vel in sinum Iustitiæ credita interdum, tuta satis iudicata sunt, quæ possent circumstantibus periculis, ac tergiuersantibus in horum perniciem & corruptelam, sua vi & forti manu resistere: si tamen prout

sunt

ſunt diſpoſita, ſingula à teſtantibus obſeruentur. Si ergo & iuxta prædicta conſtituendus vel præparandus alioqui eſt teſtator iam, vt ſecundum ſibi præſcriptam legem diſponat, ordinet de ſucceſſore pro arbitrio, ad quamlibet ſuam ſubſtantiam, non tamen pro arbitrio ſic, vt ſolennitatibus & regulis ad teſtandum obmiſsis, vel aliâs paruifactis, quoquomodo velint teſtentur: quãdo abſonum fortè ac confuſum dici poſſet id, vt ſinguli quotidie nouas teſtandi formas ſtatuerent, & illas ſibi ad obſeruationem proponerent, vt dictum eſt, quin magis æquum, & conueniens fuerit, ſic ſancire, vt teſtamenti factio non priuati, ſed publici iuris eſſet: & quòd forma eius inſuper, pactis priuatorum lædi non debeat.

4 Quanquam ergo teſtandi cauſa de pecunia ſua, legibus certis, facultas ſit permiſſa: non tamen iuriſdictionis mutare 4 Vlpian.in l.teſtamenti.ff.eod.

formam, vel iuri publico derogare lege nostra cuiquàm licebit,[5] *vnde fit nõ immeritò, vt cùm quæritur an valeat testamentum, si quidem probatum fuerit, testatorem testamenti habuisse factionem, an secundum regulas iuris ciuilis testatus sit, statim subijcitur.*[6] *& testari porrò secundum regulas iuris ciuilis, cùm nihil aliud sit, quàm eo modo ipsum efficere testamentum, secundum quem leges præscribunt, ac ordinant, prout prædictum est. Illeq́ (vt in re alicuius momenti in qua studium omne & omnis cura, dolo & fraudibus euitatis, ad manifestationem veritatis, pro re gesta esse debet) cùm non parua nec mediocri solicitudine pendeant, declarẽt sese ad id, quo omnia præsentibus testibus fiant, & sine illis, nullum pronuntient satis esse de iure validum, vel satis potens ad proprios exequendos effectus: licet pro necessitate tẽporum*

5 Diocle. et Maxi. Euriphide. in l. testandi. C. de testa.

6 Caius in l. si quæramus. ff. eo.

porum, locorum, & munere vel ingenio personarum vario, variatus sit testium prædictorũ numerus in vniuersum, ita vt non totidem semper vel in omnium testamentis requirantur, sed plus & minus pro conditione dißimili, hæc tamen inter præcipuas testandi solẽnitates, cùm sibi locum vendicet, vtpote quando conceptum illum mentis, seu testantis dispositionem, tandiu testamentum non dici propriè sit receptum, & magis communiter, quandiu manifestatum & publicatum non est testibus prædictis, quasi inde suæ formæ partem & vigoris & potentiæ assumat. Testatore ergo ad munus hoc testandi conuerso (siue suam dispositionem præmeditauerit prius quàm testetur, siue tunc tantum quando exprimit, non retulerit ad hæc) vt secundum magis communem iuris formam testetur, si quidem adesse tunc iam suo testa-

mento testes proponit, ac deliberat, pro huius solennitatis obseruatione, quando ijdem præsentes non sunt, nimirum si ut adsint, euocare hos sit necesse: & sic, ut expreßè propter testamentum euocētur: quoniam in testamētis, testes rogati adesse debent, ut testamentum fiat. Quòd si alterius rei causa rogati sint, vel in unum collecti, tunc testimonium suum rectè perhibebunt, si certiorentur ad testamentum se esse adhibitos.[7] *Euocatio porrò hæc, seu rogatio testium prædictorum, ut habet suum finem, & suam causam propter quam est introducta, illam videlicet, ut quod geritur, astantibus seu præsentibus ipsis quomodocunque sit, percipiant ac retineant: & ubi opus sit, pro ueritate demū & ita omnino prout gestum est, enuntient, publicent, quo sic integra & inuiolata maneat, ac purè & simpliciter exequatur mens & uolūtas testan*

[7] Vlpia. lib. 10. ad Sabi. in l. hæredes palā. §. in testamētis. ff. de testa.

testantium: nimirum si ex euocandis & rogandis in uniuersum, & ubique ex omni hominum specie ad hoc munus, cõmune iudicium & experimẽtum fuerit, ad hæc, aliquos esse imbecilles & incapaces, ac ineptos, quosdam non satis tutos, sed suspectos magis fraudis & doli, & de quibus periculum sit, ne negotium hoc omne inuertant, corrũpant, vitient varijs ex causis, & quacunq; minima vel leui occasione: nimirum inquam si delectus in his propterea sit habendus, ut soli illi ad hoc munus admittantur, de quibus bona spes sit, ut valeant, ac integræ & rectæ attestationi sufficiant. Si ergo examinatis potentijs, & viribus horum, qui testes testamento adhibendi sunt, & æstimatis demum seu comparatis ad munus obeundum, non admittendos neque recipiendos dictet naturalis ratio, vel ciuilis æquitas, qui illi perficiundo & exe-

quendo legitimè non sufficiunt: & prout effici decet, in bene instituta Republica: vndecunque proueniat incapacitas vel insufficientia talis, ab animo an à corpore, quatenus ergo impuberes tales sunt, vt propter imbecillitatē animalium facultatum (quod experimento manifesto patet) nō nisi imbecilliter & imperfectè res & negotia quæuis percipiunt, retinēt, ac de illis iudicant, non ab re ideo, & si testimonium testamento dicere, his est prohibitum.[8] Quemadmodū & furiosis cùm compotes mentis non sint, prohibetur: [9]quasi erratico & peruerso animi iudicio teneantur, propter furorem: quod si habeat intermissionem furoris, hîc, eo tēpore adhiberi testis poterit. Velut & si quod testamentum ante furorē consummauit, validum est: & bonorū possessio ex eo testamento competet:[10] ita vt appareat euidēter, quòd non propter aliud, quàm

8 Institu. de testa. §. testes.

9 Insti. cod.

10 Vlpi. in l. q testamen to. §. quacunq; ff. de testa.

quàm propter desipiētiam ipsam, arceantur ab hoc testimonio, qui furiunt, vtpote cùm non discernant, tunc actum ab actu, non opus ab opere: furore verò intermisso cesset & prohibitio, ac habiles testimonio ferendo efficiantur. Alia est nostris animis innata, & cohærens ad imbecillitatē imperfectio, quæ imperfectos pariter & inhabiles reddit, quotquot sub eiusdem qualitatis speciebus, vel sub eodem conditionis genere sunt, ad hæc munia. Fitq; hæc per abiectionem quādam animi, seu per pusillanimitatem illam, quæ fortitudini est contraria: qua fit subinde vt vacillent, infirmi & instabiles ex omni vento iactentur: & modò in hanc, modò in illam leui ex qualibet causa trahantur sententiam: horumq; alios à natura tales esse genitos, experimento expreßiore comprobatur: alios acquisititia conditione, & habitu quoddam ita

effici

effici: utrisq; autem propter suspicionem futuri euentus, parum legitimi ne euocẽtur à testantibus interim, interdicitur. In prima specie horum mulieres sunt, quorum testimonium in testamẽtis non recipitur: quanquàm aliàs posse mulierẽ esse testem, argumento sit, lex Iulia de adulterijs, quæ adulterij damnatam, testem produci, vel dicere testimoniũ vetat.[11] Et si quidem mulier ætatis alioqui plenæ, & sana mente, potens sit percipere & retinere pariter testãtium decretum, qualecunq; sit, ea tamen sexus huius est natiua fragilitas, ut vel suasione vel pollicitatione aliqua, ita reddatur infirma & variabilis, ut non tuta satis maneant publicanda, quæ illis ad testimoniũ veritatis sunt credita: adeò ut multiplici hæc experimento comprobata, non ab re si huius cõstitutionis causa fuerint: & sicut in muliere originaria intẽperies ad

11 Vlpia. in l. qui testamẽto. §. cũ qui. ff. de testa.

ad infirmitatẽ animi, seu instabilitatem prædictam, aditum & viam præbet, ita & viris timor, metus, affectus pendens in affinitates, ad beneficia, & commoda alia propria, tam corporis, quàm animi, illam habent in homine vim, vt idem pariter in eo inducere valeant, ac talis imbecillitatis, seu defectus suspectos arguat: siue singula per se eueniant in aliquo, siue concurrant in eodem duo, vel plures affectus simul: vnde effectum idcirco est, cùm repugnare integræ & puræ attestationi hæc, essent animaduersa, prout & alia, vt ire obuiam his incommodis dignum duxerint: & ea propter sit decretum lege. In testibus non debere esse illum, qui in potestate testatoris est: [12] *potestatis verbum, non solùm ad liberos, qui sunt in potestate referendo, verumetiam, ad eum quem redemit ab hostibus: quãuis placuerit hunc seruum non esse*

12 Instit.co. §.pater.

esse, sed vinculo quodam retineri donec pretium soluat. Ita etiam vt quæcunque in testamentis dicuntur, super perhibendis testimonijs eorum, qui in potestate sunt, in omnibus testimonijs accipiatur, vbi aliquid negotij geritur per quod acquiratur.[13] Licet fauore militiæ Marcellus probet lib. x. Digestorum, patrem eius qui de castrensi peculio potest testari, adhiberi ab eo ad testamentũ testem posse: & fratrem similiter.[14] Sed si filiusfamiliâs post mißionẽ de castrensi peculio faciat testamentum, nec pater eius rectè adhibebitur testis, nec is qui in potestate eiusdem patris est: quando reprobatum in ea re, est domesticum testimonium.

13 Vlpia. in l. qui testamẽto. §. potestatis. & §. quæcũq;. ff. eod.

14 ibidẽ. §. j. in fin.

[15] Seruis verò siue propter metum dominorum adesse testantibus ad testimoniũ, vetitum sit: siue quia iuris ciuilis cõmunionem non habent in totum, nec prætoris edicti:[16] cùm in animo seruili nihil sit recti,

15 Insti. eod. §. pater.

16 Vlpia. in l. qui testamẽto. § seruus. ff. eod.

recti, nihil hic retulerit, quandoquidem propter priuationem libertatis, multa & varia eisdem, à iure sunt prohibita. Illos verò ab hoc munere arcere, qui tales suo vitio & animi corruptela se exhibent, vt à legibus intestabiles esse iubeantur, ita vt ne eius testimonium recipiatur, & eo amplius (vt quidam putãt) néve ipsi dicatur testimonium,[17] nemo non æquum & iustum dixerit: vtpote cum talibus indicijs incommodi, quàm commodi plus exhibituros fortè prodant sese. Quos igitur iubent leges improbos intestabilesq; esse, non poterunt ij in numerũ testium adhiberi: non cui bonis interdictum est:[18] neque eum, qui lege Iulia repetundarum, vel ob carmen famosum damnatus est, ad testamentum adhiberi posse, est existimatum, quoniam in iudicio testis & hic, esse vetatur.[19] De paupertie, inimicitia, & eiusmodi qualitatibus,

17 Caius in l. cum lege. ff. de testa.

18 Insti. eod. §. testes.

19 Vlpi. in l. q testamento. §. cum qui. ff. eo.

bus, hîc non additur, propter id, vtputo, vt cum à testatore ipso pendeat horum euocatio, vel rogatio testium, vel à suis, verisimile est, euitaturos hos, talia incõmoda spõte, citra sanctionem aliquàm. Ex corporeis verò instrumentis, seu mẽbris quomodouis, prohibitio à testimonijs fit, propter insignem læsionẽ eorum, quæ ad executionem huius muneris requirũtur, vel sunt necessaria alioqui, adeò vt non rectè vel satis integrè fiat, ab his qui illis sunt priuati, vel earum functione, saltim altera vel vtraque: propter quod ideo interdicta in testamentis testimonia sunt surdis & mutis,[20] alteri propter incommodum, quod habet ad percipiendam testantium sentẽtiam, vtpote surdo, cui & si cæcum quis adiungeret, non erraret, vbi maximè copia aliorum magis integrorum haberi posset, & nihil imperfectum interim actibus his adiungatur,

20 Insti. eod. §. testes.

tur, alteri autem videlicet muto, propter priuationẽ vocalis instrumenti, ad enuntiandum vltimi eulogij decretũ, si quando publicatione tali opus esset. Propter acceptum, siue accipiendum beneficium collatum iam, siue conferendum per testamentũ, testes esse non possunt hæredes in eo testamẽto, in quo instituuntur, seu inscribuntur,[21] neq; eorum pater, qui eos in potestate habet, neq; fratres, qui in eiusdem patris potestate sunt, testes adhiberi possunt: quia hoc totum negotium, quod agitur, testamenti ordinandi gratia creditur hodie inter testatorem & hæredem agi. Quod & in legatario, & in eo qui tutor scriptus est, contra habetur: ij enim testes possunt adhiberi, si aliud eos nihil impediat: & legatarijs ideo ac fideicõmissarijs, & alijs personis eis coniunctis testimonium hoc non denegatur, quia non iuris successores sunt, imò & quadam con-

21 Vlpian. in l. qui testamẽto. ff. eo.

ſtitutione hoc ſpecialiter eis cōceditur: ac multò magis his qui in eorum poteſtate ſunt, vel qui eos habent in poteſtate, huiuſmodi licentia datur. [1] *Et quanquàm legatarijs & fideicōmiſſarijs aliquid ſiue legatum & fideicōmiſſum, ac tutori tutela à teſtatore conferatur teſtamento, propter collationum tamen differentiam effectum videtur, vt vni teſtificatio ſit prohibita (vtpote in quo maius periculū imminet, & ſuſpicio ad dolum & fraudem maior exhibet ſeſe) alteri autē permittatur. Habent enim & affinitas, & ſucceſſio in his, hæc incommoda, vt cum ſtudeat proprijs quiſque, & ex affinitate vel aliquo beneficio in teſtatorem collato, ſibi maiora deberi putent, metientes cum debito portionem, inde ſemper ſe ſuſpectos declinationis in partē redderent. Prouiſum ideò æquitate legitima eſt, vt propterea ab his abſtineant: & legatarij*

1 Inſti.eo.§. licet autē.

qui

quidem fideicōmissarij & eiusmodi, si de suis & domesticis erunt, quatenus domestici, non recipiētur: si verò extranei, tūc, quando nihil aliud eos impediet, vt dictum est suprà. Et de his quidem de quibus dictū est velut mutatione quadam tēporis, temperiei, fortunæ, & eiusmodi, ex inhabilibus fieri habiles ad testimonium, velut impuberibus, furiosis, surdis, seruis, & similibus, ita intelligendum est, vt habilitas illa & sufficiētia requisita, tunc adsit, & inspicienda sit, cùm signatur testamentum, non autem tempore mortis eorum. Quare si tunc cùm signarent, tales fuerint, vt adhiberi possent, nihil nocebit, si quid posteà eis contigerit sinistri.[2] Ideoq́ & cùm aliquis ex testibus, testamenti faciendi tēpore, liber existimaretur, posteà autē seruus apparuit, tam diuus Adrianus Catoni, quā posteà diui Seuerus & Antoninus rescripse-

2 Vlpia. in l. ad testium. §. conditionem. ff. eo.

runt, subuenire se ex sua liberalitate testamento, vt sic habeatur firmum, ac si vt oportebat factum esset: cùm eo tempore, quo testamẽtum signaretur, omnium consensu, hîc testis liberi loco fuerit: neq; quisquam esset, qui status ei quæstionem moueret.[3] *Quando vt dictum est, quòd serui testes an liberi fuerint, tũc tractari nõ oportet, cùm de succeßione, vel alia causa agitur.*[4] *Et de causis quidem prohibitionem inducentibus satis hactenus. Quæ cum per accidentia qualitates & conditiones fiant aliquas, certum esse potest, & clarum quibusuis, quòd à contrario, in quibus eædẽ qualitates & conditiones non aderunt, ijsdem liceat suo testimonio testãtibus adesse, velut ablatis obstaculis, quæ obstabãt vel impediebãt alioqui ab huiusmodi munere prius: vnde euenit propterea, vt quotiescunq; testificaturi viri puberes fuerint, sani mẽte &*

3 Instit. eod. §. testes.

4 Adri. a. Catonio. in l. prima. C. de testa.

te & corpore, liberi & extra potestatem testantium, non affines, non domestici, neq; hæredes instituti ab illis, integri, ac probatæ vitæ, & inculpatis moribus, non criminosi, nec de quibus suspicio ulla doli aut fraudis habeatur, totiens etiam ij, citrà inualiditatis testamẽti periculum, quatenus ex hac parte facit, adhiberi, euocari ac rogari, vt eisdẽ conficiẽdis adsint poterunt: nec negotium etiam vitiabit hoc, & si ex aliena domo, ad testium numerum euocentur, simul pater & fratres plures, qui sunt in eiusdẽ potestate[5] modo alioqui cæteris qualitatibus valeant: cùm nihil noceat præsertim ex vna domo, plures testes, alieno negotio adhiberi.[6] Et de eo pariter, qui testamenti tabulas scripserit, quòd nihilominus iure testis adhiberi possit, existimatum est.[7] Delectu porrò circa testes hoc adhibito, ac euocatis integris & legitimis, secundùm for-

5 Vlpia. in l. ad testium. §. j. ff. eod.

6 Instit. eod. §. pater.

7 Celsus in l. domitius. ff. de testa.

mam & ordinem præcedentē, si quidem huius occasionem & proprij muneris normam vel modum præscribere conueniēs sit pariter: quando ridiculum alioqui & planè elusorium esset, deligere & euocare testes, qui nullo vsui mox futuri essent. Vbi delectus est habitus, ac iam de munere eorum tractandum venit, ad duo ferè capita quicquid huius partis vel negotij est, absoluitur: quorum alterum ad perceptionem, seu intelligentiam eorum, quæ à testatore proferentur (si tamē protulerit ipse, vel tabellio) spectat: alterū verò ad subscriptiones, & signacula eorundem intendit: quo inde suæ præsentiæ & propriæ attestationis, fides pateat. Ad primum ergo, si quidē perceptio & intelligentia eorum, quæ proferuntur à quouis, naturaliter non satis sit cōmoda, nisi per præsentiam: quando nemo non dixerit, nequaquàm percepturos illos qui absunt

vel

vel aliquo interuallo distãt à re seu voce vel verbo perceptibili, nimirum ergo & si in eam sentẽtiam decretum sit, vt si testes non in conspectu testatoris testimoniorum officio functi sunt, vt nullo iure testamẽtum valeat: nisi speciali priuilegio patriæ iuris hæc obseruatio sit relaxata: [8] *quo verò priuilegio relaxetur nõ video, si tamen actus hîc ita dirigendus est, vt integer ac perfectus efficiatur: velut & pari modo si non per saltũ, aut per transennam præstanda testatoribus sunt hæc obsequia, & per ludibrium magis quàm seriò, durare debẽt (prout veteres putauerunt) ij qui propter solennia testamenti adhibentur, donec suprema contestatio peragatur (non tamen sic durare, vt ibi detineantur inuiti, quia tunc putatum est, nisi sponte adsint, inualidam futuram talem attestationem) sicq; & principio & fini, argumẽto & cõclusioni*

8 Diocle. & Maxi. aa. Patrocliæ. in l. si non speciali. C. de testa.

præsentes percipiant sensu, qui & quibus rebus sint adhibiti: nec exigitur intelligētia sermonis ad hæc. Hoc enim Diuus Marcus Didio Iuliano, in teste, qui La
9 Vlpian. in l. qui testamēto. §. fin. ff. eod. *tinè non nouerat rescripsit.* [9] *& ita percepta ac intellecta ad hunc modum re integra, quo & præsentiæ & intelligentiæ fides certa pateat, ad omnem necessitatē. Singulos testes testamento adhibitos, proprio chirographo annotare cōueniet, quis*
10 Pau. lib. 5. respōso. in l. singulos. ff. de testa. *& cuius testamētum signauerit.* [10] *Quòd si & propriū testamentum signasset etiā testator: idq; iterū signetur septē testium signis, nō erit imperfectum propterea, sed vtroq; magis iure valebit, tam ciuili vi*
11 Vlpi. in l. si testamentum. ff. eo. *delicet, quàm prætorio.* [11] *Si verò aliquis ex testibus nomē suum non adscripserit, verùm tamē signauerit: pro eo erit, atq;*
12 Vlpi. in l. ad testium. §. si quis. ff. eod. *si adhibitus non esset. Et si (vt multi faciunt) adscripserit se, non tamen signauerit, adhuc idem dicetur.* [12] *Similiter & si*

vnus

vnus de septem testibus defuerit, vel coram testatore omnes eodem loco testes, suo vel alieno annulo nõ signauerint: iure tunc deficiet testamentum. [13] *Signum porrò ipsum, vtrum annulo tantùm impresso adhibeatur, an verò & si non annulo, verùm alio quodã impresso? (variè enim homines signant) & magis est, vt tãtùm annulo quis poßit signare, dũ tamen habeat characteres:* [14] *mihi tamen parum referre videtur, vtrùm annulo vel sigillo alio imprimãtur, vel ex eo, vt cùm ad certius testimonium, seu ad expreßiorem fidẽ hæc fiant, ita sigillo, si huius vsus sit frequẽtior, patêre hæc possent, sicut annulo: nisi fortè sic velint, quò certior ac limitata magis sit horũ ad formam vel ad solennitatem species. Poterũt autem testes omnes & vno annulo signare testamẽtum, licet septem annuli vna sculptura fuerint, secundum quod*

13 Diocle. et Maxim. aa. Matronæ. in l. si unus. C. eod.

14 Vlpia. in l. ad testiũ. §. signum. ff. eod.

C v Pap

Papiniano visum est, si quidem nomine proprio & cognomine seipsos testes diuersificant ad sufficientem numerum: quando & alieno quoq; annulo, signare testamentum licet.[15] *Vnde & si ab ipso testatore pariter accipiatur annulus & signetur, testamentum valebit, quasi annulo alieno signatum.*[16] *Et si non tabulæ ipsæ membranæ vel charta signetur, sed linteũ tantùm, quo tabulæ inuolutæ sunt signetur, vel in eo signa impressa fuerint, signatas tabulas nihilominus accipi oportet: neq; dubitationem vllam inualiditatis relinquent, quocunq; tempore signatæ fuerint: siue enim signẽtur die, siue nocte nihil referet.*[17] *Si tamen ab ipso testatore signa turbata fuerint, quasi mutaturus sententiam, signatum non videbitur.*[18] *Quatenus autem ad præsentiam & numerum testium attinet, siquidem ad necessitatem lex impotens est, ac inualida, nimi*

15 Insti.eod. §.possunt.

16 Vlpi.in l. ad testium. §.si ab ipso.ff.eod.

17 Idem ibidem. §.fin.

18 Ibidẽ. §.si signa.

nimirum, & si pro temporum, locorum, & hominum diuersitatibus, variare & in his ius suas sanctiones rationabile fuerit: velut hîc ad remißionē legitimi numeri testium, propter contagionē sæuientis morbi, vel vbi ijdem satis validi nō habentur, integro numero: Maioris ergo ac noui casus contingentis ratione, aduersus timorem contagionis, quæ testes deterret, laxatum de iure est, testes videlicet huiusmodi morbo oppreßis, eo tēpore nequaquā aut sociari aut iungi, non etiam conueniendi numeri eorū obseruatio sublata: quanquàm non prorsus reliqua testamentorum solēnitas sit sublata.[19] Ita vt quoquo modo horū voluntas pateat nō dolosa, nec fallax, ea sit ad suam executionem potens. Ob defectus verò validorum, vel satis capacium testium, seu ob rusticitatem ipsam, cui ab antiquis legibus, & à diuersis Principibus semper est

19 Diocle. et Maxim. aa. in l. casus. C. de testa.

consul

consultum, quemadmodum militibus ob militiam, cum nō poßint tantam legum subtilitatem custodire: eorū simplicitati propterea est subuentum, sic vt eorū consuetudo in his vicem legis obtineat, vbi literati homines non inuenientur: vbi verò scientes literas inuenti fuerint, septem testes (quos ad testimonium conuocari necesse est) adhibeantur: & vnusquisq; pro sua persona subscribat. Sin autē septem non inuēti fuerint vsq; ad quinq; modis omnibus adhiberi iubetur: minus autem nullo modo cōcessum est: Si verò vnus, aut duo, vel plures fuerint literati, liceat eis pro ignorantibus literas (præsentibus tamē) suam subscriptionem interponere: sic tamen vt ipsi testes cognoscant testatoris volūtatem: & maximè quē vel quos hæredes sibi relinquere voluerit, & hoc post mortē testatoris iurati deponant. Quod igitur quisq; rusticorum (sicut

(sicut prædictum est) pro suis rebus dispo suerit, hoc omnimodo, legum subtilitate remissa, firmum validumq́ consistat. [20] 20 Iustinia.a. in l. & ab antiquis. C. de testa.

Delectu ac munere testiũ explicito, cùm iam conueniẽs sit & opportunum, vt ad testatorem conuersi, hunc ex equẽtem seu dictantem vltimam suam sententiam, in substantia & facultatibus proprijs, insequamur, contemplemur, ac æstimemus per singulos huius facti actus: cùm igitur & sententia & decretum, seu vltimum testantis eulogium, siue in scriptis, siue per nuncupationem fiat, quandiu per testatorem non exprimitur, quocunque modo fiat, nihil est: expressa verò voce & significato indicant sese ex arbitrio testantis, quæ & quãta sit cuiusq́ vis, ad quæ valeant & intẽdant singula: Sic & perpendere ex his primùm, quæ huic negotio cõueniant, & quæ non conueniant, & quæ sit singulorum potẽtia ac vigor, non erit

omni

omnino à re nostra alienum. Quatenus ergo unus est ad expreßionẽ proprij conceptus finis, quò sic percipiatur demũ ad suos effectus testatio: sintq́ ad usum expreßionis huius creata idiomata varia, non referet ad hæc, quo quis sermone testetur, adeò ut etiã Græcè testari omnibus liceat: [21] *ita tamen (utputo) quòd à testibus in suo sensu intelligatur: quando alioqui confusio magis, quàm vera expreßio dici posset, ubi à quoppiam quid sentiret, non intelligeretur. Eodem verò vel alio sermone, intelligibili attamen, verborum scrupulosa neceßitate amota, quam suo sensui conuenire dictionem & orationem putabit, eadem & utetur: siue instituẽdo hæredes, siue quiduis aliud exprimẽdo, & nihil intererit, utrum imperatiuis verbis institutio fiat, siue directis, aut inflexis. utpote, ut dicatur, hæredem facio, vel instituo, vel volo, vel mando,*

21 Theod. & Valenti. aa. Florẽtia. in l. hac cõsultißima. §. fina. C. eo.

mando, vel cupio, vel esto, vel erit: sed quibuslibet cõfecta sentẽtijs, vel in quolibet loquendi genere formata institutio valeat, si modo per eam liqueat voluntatis intentio: nec necessaria sunt momẽta verborum, quæ fortè seminecis, siue seminecati hominis balbutiens lingua profudit. In postremis ergo iudicijs ordinandis, amota erit solennium verborum necessitas: adeò vt qui facultates proprias cupiunt ordinare, in quacunq; instrumẽti materia conscribere, & quibuscunque verbis vti, liberam habeant facultatẽ. Quoniam indignum esset alioqui, ob inanem obseruationem irritas fieri tabulas, & iudicia mortuorũ.[1] Ideoq; & casibus talibus, licet instituẽdo vel legando etiã in nomine vel prænomine, seu agnomine vel cognomine, testator errauerit, nec tamẽ de quo senserit incertum sit, error huiusmodi, nihil officit veritati.[2] Quemad modum

[1] Cõstãtius a. ad populũ. in l. quoniam. C. de testa.

[2] Gordia. a. Ruffino. in l. si in nomine. C. eo.

modum & verba testamẽti, quibus decedens se nihil cuiquam donasse significauit fortè, si res se aliter habeat, fidem veri non præstringunt.[3] *Ita tamen vt qualitate, conditione, & statu testantiũ pensato, effectu ipso, & executiõe proximius accedatur ad id, ad quod verisimilius est, & magis demonstrabile ac apertum, eũdem suo animo declinasse: ne interim occasione ab his sanctionibus sumpta, cõstituãtur inde semineces & erratici multi, ac balbutientes multoplures: vbi tamen veritas ab his quæ à multis & variæ conditionis hominibus proferuntur in contrarium, liquebit manifestè, tunc vt in exemplis prædictis, veritati erronea prolatio cedet: velut pariter, neq; professio, neq; asseueratio nuncupantium filios qui non sunt, veritati præiudicat, & si quæ vt filijs testamento relinquantur (qui tamẽ filij non sint) iuxta ea quæ à*

3 Diocle. & Maxi. Terentiæ. in l. uerba. C. e.

princip

principibus statuta sunt, non deberi certi iuris est. [4] *Quatenus autem ad copiam, & ordinem testantium quorundam attinet, si quidem non ad libellam, neq; ad vnam regulā creata est tota hominum species, adeò vt ad datā vel acceptam mensuram eadem oratione, eadem via, & iisdem terminis procedant omnes, sed in aliquot dißimilibus, suo more quilibet. Ideò & cùm superflua non noceant in multis, neq; abundans cautela (licet necessaria prætermissa imminuant contractus, & testatoris officiant voluntati) non propterea infirmari debebit testamētum, ex eo quod deficiens testator, diuersis nominibus quiduis appellarit.* [5] *Siue ad copiam id, siue vt numerosiore vocabulo sese in suo sensu exprimeret, patefaceret: cumq; ad vnā solam sui conceptus, & sui animi, & mentis significationem, ac declarationem, singula tendant, siue*

4 Valeria. et Gallie. aa. Lucillo. in l. neq; professio. C. e.

5 Arcad. & Honor. aa. Aeternali. in l. testamentū. C. e.

vno ordine, ac consequentia verborum id procuret & efficiat, siue mutato paululum, & præposterè quadā interponat, ac designet, quanquàm antiquis, in vitium & corruptelam hoc verteretur reprehensibilem, cùm tamen hanc, nouella cõstitutio diui Leonis in dotalibus instrumentis sustulisse noscatur, in alijs quoq; omnibus, tam contractibus, quàm testamentis sublata est: adeò vt tali exceptione cessante, & stipulatio & alij contractus, & testatoris voluntas, indubitatè valeant: exactione videlicet post conditionem vel diem ex talibus, vt ex cæteris competente. [6] Verborum verò prædictorum collectio & prolatio cùm futilis alioqui esset, & vana, nisi certum ac vocalem exprimeret, & enũtiaret sonum, sensum & significatum exequēdum aliquando patefacerent aliquem, ex testantis vltimo hoc decreto: sitq; inter obseruationes

6 Iustinianus Mennæ. in l. præposteri. C. de testamen.

tiones testantium cæteras illa præcipua, vt sibi de hærede prouideat, qui sui vicẽ mox vbi defunctus testator fuerit, in administratione peculij sustineat, quodq́ propter maiora commoda, & paulò pleniores prouentus, cùm expositum varijs periculis sit, ne multi diuersis artibus, testatore etiam inscio, aspirẽt in huius muneris successionem, itum obuiam calliditatibus & tergiuersationibus quæ ad hæc confingi possent, per legis prouidentiã est: & sic vt ex testatoris animo & mente dũtaxat, hoc procedat componatur, non autem aliter. Si igitur talis sit testator (quocunq; modo testetur, siue per nuncupationem, siue per scripturam) qui & animo, & corpore ad vocem valeat: hũc hæredes palàm ita vt exaudiri poßit nũcupare oportet: & palàm quidẽ dictum est, non sic tamen vt in publicum, sed vt exaudiri poßit à testibus septem dunta-

xat: quod & si plures fuerint testes adhibiti, sufficiet solẽnem numerum exaudire tantùm, à testatore, hæredis nomẽ nuncupatum, vbi ab eodẽ nominetur, siquidem vtrunq; testatori permittitur ac licet nuncupare, scilicet hæredes vel scribere. 7 *Si verò & talis quidam sit, qui neq; scribere, neq; articulatè loqui potest, mortuo hîc similis esto, & quatenus ad testamentorum confectionem, exul ac inualidus omnino existat. Ex voce enim testatoris, vel ex literis ipsius, aut testium fortè, qui ad elogium conficiendum fuerint conuocati, nomina hæredum omnimodo manifestari oportet: & quemadmodum in nuncupatiuo, vel sine scriptura testamento, necesse est testatorem, voce exprimere nomen, vel nomina hæredum, ita & in testamẽtis per scripturam conficiendis; cùm ipse testator manu sua scribere hæredes, vel noluerit, vel minimè potuerit:*

7 Vlpia. lib. 10. ad Sabi. in l. hæredes palã. §. j. ff. de test.

rit: voce attamen eius, eos manifestari oportet: & nuncupãdo quidem, pluribus interdum nominibus hæredum expreßis, ne aliqua forsitã obliuio, testium animis incumbat, ipsi testes in suis subscriptionibus (cùm testator non hæc scripserit, sed nũcupauerit) eorum nomina subscribere non differant, ad æternã rei memoriã.[8] *Idq; propter testamentorum syncerita-tem, vt nulla fraus adhibeatur: hoc additum est, vt per manus testatoris vel testium, nomen hæredis exprimatur, & omnia secundum huius constitutionis tenorem procedant.*[9] *Sin verò ipse testator peritiam & vires habeat ad scribendũ, iubetur eidem nomen hæredis vel hæredum in sua subscriptione, vel in quacũq; parte testamenti ponere: vt sit manifestum, secundum illius voluntatem, hæreditatem esse transmissam, & vbi idem scripserit, sicut dictum est, superuacuum*

8 Iustinia. d. Ioanni. in l. iubemus. C. de testa.

9 Insti. eo. §. sed his.

 erit

erit posteà testes in sua subscriptione hæc exprimere: cùm forsitan nec eos scire testator suos hæredes voluerit, & semel causa ex ipsius testatoris scriptura appareat. Hæcq; in posterum obseruari mandantur, vt testamẽta quæ post hanc nouellam legem conficiẽtur, cum tali obseruatione procedant. Quòd si nõ fuerit obseruatum, & nomen hæredis vel hæredum, non fuerit manu testatoris scriptũ, vel voce coram testibus nuncupatum: hoc testamentum minimè ad suam executionem stabit: vel in totum, si tota hæredum nomina fuerint prætermissa: vel in eius hæredis institutionẽ, cuius nomen neq; lingua, neq; manus testatoris significauit. Scituris & tabellionibus & his qui conficienda testamenta procurant, quòd si aliter facere ausi fuerint, pœnam falsitatis non euitabunt: quasi dolosè in tam necessaria causa versati. [10] *Et hæc quidem*

10 Iustinia. a. Ioanni in l. iubemus. C. de test.

dem ex nouella constitutione Iustiniani, cùm retinuissent suam obseruationẽ aliquandiu, & cognitum demum esset, per exquisitam huiusmodi subtilitatem, siue difficultatẽ, multa testamenta subuersa esse, nequeuntibus vel nolentibus etiam multis id obseruare: alia cõstitutione ad emendationem prædicta ad arbitrium obseruare volentium hæc sunt relicta: sic tamen vt nihilominus, sic testamẽtum quoq; valeat, vt siue per se aliquis, siue per alteram personam hæredis nomẽ inscribat: modò reliquã omnino legitimam obseruationem, testator in suo testamẽto custodiat.[11] *Et hæredum quidem nuncupatio, seu institutio vel legatio, ad quæuis bona, cùm sibi proximã, & quasi affinem inquisitionem habeat, num videlicet libera & legitima sit ad quosuis, & cuiuslibet cõditionis personas? quãquàm & suis titulis cõueniant hæc etiam, vbi*

11 Iustinia.a. Petro in authẽ.ut spõsa.largi. §. qa uerò.col la.ix.consti tu.ij.

tamen hoc loco sunt dispoſita, nequaquã ea prætereunda censui, vel remittenda, quando & suo quæq; loco, conuenient singula fortè aptius. Ex relatione ergo quã habet testator, quibus cum testamenta componit, minimè dubitandum est, dictantibus testamenta, vel aliam quãlibet vltimam volũtatem, legatum, vel fideicõmissum, vel quodcunq; aliud quolibet legitimo titulo, testatorẽ posse relinquere. Et testibus pariter ad efficiẽdam volũtatem adhibitis, pro suo libito, quod voluerit testator relinquere non prohibetur,[12] *neq; illis personis præterea, quæ & si testamenta facere non poßint, & quibus occaſionibus varijs testari est prohibitũ, testamenti attamen factionem habere dicuntur: cuiusmodi sunt filiusfamiliâs, & seruus alienus, & posthumus, & surdus, qui licet testamẽtum facere non possint, attamen ex testamẽto, vel sibi vel*

12 Zeno. a. Sebastiano. in l. dictantibus. C. de testa.

aliјs acquirere poterũt: & Marcellus notat, furiosum quoque testaměti factionem habere, qui licet testamẽtum facere non possit. Ideò autem testamenti factionem habet, quia potest sibi acquirere legatum vel fideicõmissum: quando & compotibus mentis, personales actiones, etiam ignorãtibus acquiruntur.[13] Nec arbitriũ insuper testantibus ad relinquẽdum seu instituendum impediet, principalis, vel Imperialis etiam dignitas. Si quidẽ non dubium nec incertum est, sicut Imperatoribus, ita qualibet dignitate vel potestate decoratis viris, tam hæreditatẽ, quàm legatum, seu fideicõmissum relinqui posse.[14] Ita tamẽ vt cùm hæredes instituentur fortè Imperator, seu Augusta, ius cõmune, & ij cum cæteris habeant. Quod & in codicillis, & fideicõmissarijs epistolis iure scriptis obseruandum quoque erit. [15] Adeò vt si quis Imperatorem fortè in-

13 Pompo. in l. filiusfam. ff. de testa.

14 Grati. Valen. Theod. aaa. in l. nõ dubiũ. C. e.

15 Valens Valẽti. & Gratian. aaa. in l. cum hærẽdes. C. q te sta. fa. pos.

stituerit hæredem, habeat mutandi iudicij facultatem, & quęcunque voluerit secundum leges, in testamẽto suo hæredem scribendi.[16] *non minus quàm priscis legibus cautum est, Imperatori quoque & Augustæ testamentum facere licere, & mutare. Si verò & se iactauerit aliquis, Imperatorem facturum hæredem, non tamen eius bona propterea à fisco occupari poterunt.*[17] *quando iactare & instituere non sunt idem, sed differant magis interuallo aliquo, alterum ab altero: nec conueniat etiam aut æquum sit satis hoc titulo vel nomine potentiæ, defunctorum bona, citra plenum & manifestũ eorum decretum, sibi vsurpare, ex testamento, siue ab intestato modis & formis illegitimis prout edicto promulgatum est, non debere conuelli deficientium scriptas iure ac solẽniter voluntates, dum quoddam morientis supremũ & non scriptum, processi*

16 Cõstãtius a. in l. si qs. C. qui test. face. poss.

17 Paul. in l. eius bona. ff. de testa.

cessisse confirmaretur arbitrium tanquã patrimonium suum, ad Imperatorẽ deficiens maluisset pertinere. Quocirca omnibus priuatis & militãtibus interdictum est, ne huiusmodi perhibeant testimonia: & falsi criminis reos teneri præceptum, si cùm scriptæ iure ac solenniter deficientium extiterint voluntates, non scriptũ aliquid, sub Imperialis nominis mẽtione, falsò adstruere moliãtur. Nemo itaq; relictus hæres, vel legibus ad successionem vocatus Imperatoris vel potentium nomen horrescat: nemo ferre testimonia in hunc modum, vel suscipere in gestis huiusmodi voces audeat Imperatoris, vel etiam priuatorum potentium nomine,[18] tutus ergo his sanctionibus in postremis suis decretis testator, nihil iam habet ex principali potentia timoris, quominus de propria substãtia pro arbitrio, & vt libet statuat: procedens ergo ab vno principio testa

18 Honor. & Theodo. aa. ad populũ urbis Constãtinopol. in l. nolumus. C. de testa.

testamentorum hîc ad finem, ab institutione vel exhæredatione ad reliqua, siue per nuncupationem, siue in scriptis, quando vtriusq; & singulorum cõmunia hæc accidentia sunt. Si quidem & hoc vt facta multa naturalia, ita cõstitutum est, vt & principium & finem habeat, ac certis terminis, & limitibus claudatur, non perperam constitutum est, vt vno contextu actionis testari oporteat: vno contextu quidem, hoc est, testamẽto, nullum alienum actum intermiscẽdo, cùm tamen si aliquid pertinens ad testamentum faciat, vt non propterea ipsum vitietur.[19] Quemadmodum & si quid necessarium euenerit, quod ipsum corpus laborantis respiciens contigerit, id est vel victus necessarij, vel potionis oblatio, vel medicaminis datio vel impositio, quibus relictis, ipsa sanitas testatoris periclitaretur, velut & si quis necessarius naturæ

19 Vlpia. lib. 10. ad Sabi. in l. hæredes. § fina. ff. de testa.

turæ vsus ad depositionem superflui ponderis immineat vel testatori, vel testibus: vt non ex hac causa testamentum subuertatur, & licet morbus fortè comitialis (quod & factum esse comperitur) vni ex testibus cõtingeret: sed & eo quod vrget tamẽ & imminet repleto vel deposito, iterum solita, seu incepta per testamenti factionẽ adimpleantur. Et si quidem à testatore aliquid fiat, testibus paulisper separatis (cùm coram his facere aliquid naturale testator erubescat) iterũ introductis testibus, consequentia factionis testamenti procedet. Sin autẽ longiore spatio refectio fortuiti casus indigeat, & maximè si salus testatoris periclitantis immineat, tunc illo vel illis testibus, circa quos aliquid tale eueniet separatis, alios subrogari, & ab eo vel ab eis, tam testatorẽ, quàm alios testes sciscitari, ac si ea quæ eorum præsentiam antecedunt,

omnia

omnia coram his proceſsiſſēt. Et cùm hoc fuerit vndiq; manifeſtum, iubetur tunc eos vel eum vnà cum alijs teſtibus, ea quæ oportet facere: & ſi in medio ſubſcriptiones teſtium, iam fuerant ſubſecutæ. Sic etenim & naturæ medebitur, & mortuorū elogia in ſuo ſtatu permanebūt. 20

20 Iuſtinia.a. in l. cū antiquitas. C. de teſtam.

In illis autem omnibus teſtamentis, quæ præſentibus vel abſentibus teſtibus dictātur, ſuperfluum erit vno eodemq; tēpore exigere, teſtatorē & teſtes adhibere, & dictare ſuum arbitrium, & finire teſtamentū. Sed licet alio tempore dictatum ſcriptúmve proferatur teſtamentū, ſufficiet vno tempore eodemq; die, nullo alio actu extraneo interueniēte, teſtes omnes videlicet ſimul, nec diuerſis temporibus ſubſcribere, ſignareq; teſtamētum: finem autem teſtamēti ſubſcriptiones & ſignacula teſtium eſſe decretum eſt. Quando non ſubſcriptum à teſtibus, ac non ſignatum

tum

tum testamentũ, pro infecto haberi conueniat.[21] *Si verò & inter species confectionum testamentorum prædictas, aliquis cùm testamẽtum faceret, hæredibus primis nuncupatis, priusquàm secundos hæredes exprimeret, obmutuisset: magis cœpisse talem testamẽtum facere, quàm fecisse Varus Digestorum lib.j. Seruium respondisse scripsit. Itaq; primos hæredes ex eo testamento non futuros. Quòd Labeo tunc hoc verum esse existimat, si cõstaret voluisse plures eum qui testamentum fecisset, hæredes pronũtiare: nec Seruium Iabolenus putauit aliud sensisse.*[1] *Vnde euenit pariter, vt si ex ea scriptura, quæ ad testamentum faciendum parabatur, nullo iure testamentum perfectum esset, nec ea quæ fideicommissorum verba haberent, peti possent.*[2] *Adeò vt ex imperfecto testamẽto, nec Imperatorem etiam hæreditatem vendicare posse sæpè*

[21] Theod. & Valenti. aa. in l. hac cõsultißima. §. j. C. eod.

[1] Iabole. in l. si quis. ff. de testa.

[2] Paul. lib. .. respõs. in l. ex ea. ff. eo.

sæpè sit constitutum. Licet enim lex Imperij solennibus iuris Imperatorem soluerit: nihil tamen tam propriũ Imperij est, quàm legibus viuere.[3] *Ita vt nõ deceat eundẽ ex voluntate testantium imperfecta, sibi aliquid vltra cæteros (quibus hoc non licet) vsurpare: quãdo maximè ex imperfecto testamento voluntatem tenere defuncti, nisi inter solos liberos à parentibus vtriusq; sexus sit prohibitum. Quòd si in huiusmodi voluntate, liberis alia sit extranea mista persona, tunc certum sit talẽ voluntatem defuncti, quãtum ad illam duntaxat permistam personam, pro nullo haberi, sed liberis accrescere.*[4] *Idq; in parẽtibus & liberis ita procedit, vt si quis literarum peritus inter filios, nouißimam velit conficere voluntatem: primùm quidem quo tempore ea conficiatur adscribat: deinde etiam manu propria, filiorum nomina, & insuper vnciarum*

3 Alexander a. in l. ex imperfecto. C. de testa.

4 Theod. & Valenti. aa. in l. hac consultißima. §. ex imperfecto. C. eo.

unciarum quantitatem, in quas ipsos scribat hæredes non notis numerorũ designatas, sed integris declaratas literis, ut ex omni parte perspicuæ, & extra cõtrouersiam sint positæ. Si uerò bonorum uelit diuisionem facere, aut certis rebus uel omnes, uel aliquas institutiones complecti, adscribat earum etiam rerũ indicia, per quæ internosci queãt: ut omnia eius declarata literis, nullam præterea contẽtionem relinquant filijs. Cæterùm si uel uxori uel extraneis quibusdã personis, uelit legata, aut fideicõmissa, aut etiam libertates relinquere: & hæc propria descripta manu, testatores dicant coram testibus, quod omnia quæ ea dispositione, uoluntateq́ extrema continẽtur, & ipsi ordine scripserint, & ualere uelint, sunto & ipsa firma, neutiquam ex hoc infirmanda, quòd in chartam descripta uideantur, quæ reliquam testamentorum

obseruationem non susceperit, sed hoc solo controuersia liberantor: quod dexteram & linguam habeāt, quæ summam chartæ firmitatem præbeāt. Et si quidem ea forma ad mortē vsq; permanserit, nemo postmodum testimonia perhibebit, quasi huiusmodi sententiam mutare fortè vel inuertere voluerit: cui vtiq; licuit, quod factum erat rumpere: & aliud testamētum facere, vltimam eius voluntatem declarans: quam competit valere. Hoc enim ei concessū est agere, modò expressis verbis idipsum in præsentia septem, aut etiam quinq; testium designet: quia & si fecerit quandam talem voluntatē, non tamē eam valere vlterius vult, sed rursus vult aliam facere: & hanc aut in testamēto perfecto faciat, omnia testamentorum habente signa: aut in non scripta perfecta voluntate: videri eum defunctum esse prioribus infirmis factis, ex secunda

cunda eius, secundum perfectum testamentum, aut voluntatem dispositione. Quia verò & illud notũ est, quod aliqui inter filios suos bonorum suorum diuisiones celebrant, efficiuntq; vt ipsi his subscribant: & hæc forma pariter recepta est à iure. Nam si distribuat aliquis bona sua, & accersitis filijs, efficiat vt ijs diuisionibus subscribant, & has per se ratas futuras profiteantur: arbitrenturq; ad eũ illa se modum habere: erit & hoc in tali bonorum diuisione ratum, secũdum Imperialem constitutionem super hoc proposita. Porrò si & ipse diuisionibus subscripserit, & per subscriptionẽ suam omnia manifesta reddiderit, erit & hoc ratum: quandoquidem & hoc legislatione alia comprehenditur.[s] Et de imperfectis quidem testamentis sufficiant prædicta hactenus. Si verò testamentum iure perfectum fuerit, & hæres sit capax, neq; etiã

s Iustinia. a. in authẽ. de testa. imperfect. §. nos igitur. coll. 8. cõsti. iij.

authoritate Imperialis rescripti rescindi hoc oportet: [6] *quin magis ratum & firmum maneat ad suam executionem & effectum, pro testantium arbitrio, & tūc magis efficacius, si addat postremis suis decretis testator, testamentum hoc meū, omni iure valere volo: videbitur patremfamiliâs voluisse, omnimodo valere ea quæ reliquit, etiam si intestatus decessisset.* [7] *Adeò vt si alioqui relictum legitimum esset, carens omni dolo & fraude, licet defectus aliquis in obseruatione solennitatum adesset, per imprudentiam aut casu alio fortuito, existimarem talibus voluntatibus indulgendū parte aliqua, quando & pro lege habendas has, toties est repetitū: velut & lege pariter receptum est, vt volūtate contraria seipsum reuocet, ab eo quod pro vltimo elogio sancierat prius. Cuiusmodi si quis testamento iure perfecto, postea ad aliud*

6 Diocle. & Maxi. in l. si testamentum. C. de testa.

7 Pau. lib. 5. respōso. in l. ex ea. §. idem. ff. de testa.

vene

venerit testamentum, tunc quod antè factum est, infirmari est decretum, si id quod facere secundò testator instituit, iure fuerit consummatum: & maiore validitate etiam, si in priore testamēto scriptis his qui ab intestato ad testatoris hæreditatem vel successionem venire non poterant, in secunda voluntate, testator eos scribere instituit, qui ab intestato ad eius hæreditatē vocantur: hoc enim casu licet imperfecta videatur scriptura posterior, infirmato priore testamento, secundam eius voluntatem, non quasi testamentum, sed quasi voluntatem vltimam intestati valere sancitur: in qua voluntate etiam, quinq; testium iuratorum depositiones sufficient. Quo non facto valebit primum testamentum, licet in eo scripti videantur extranei.[a] *Si verò & iisdem integris & perfectis mutare vel declarare aliquid seu partes aliquas*

[a] Theod. & Valēti. in l. hac cōsultissima. §. si quis. C. eo.

statuat, adiungere vel adimere, & eiusmodi, si quidem post factum testamentum, mutare aliquid testator statuat, omnia ex integro tali casu facienda erũt. Quod verò quis obscurius in testamento vel nuncupauerit vel scripserit, vtputa Stichum legauit cùm plures haberet, nec declarauit de quo sentiret. Item & si Titio legauit amico suo, cùm multos Titios amicos haberet, & sic errauerit in nomine, vel prænomine vel cognomine, cùm in corpore non errasset: nihil impedimento erit, quin poßit posteà declarare, de quo senserit, quando declarando tunc nihil dat, sed datum duntaxat significat. Sed & si notam posteà adiecerit legato, vel sua voce, vel literis vel summam, vel nomen legatarij, quod non adscripserat, vel numorum qualitatem, an rectè fecerit? & putatum est, etiam qualitatẽ numorum posse postea addi. Nam & si

adie

adiecta non fuisset, utiq; placeret coniecturam fieri eius quod reliquit, vel ex vicinis scripturis, vel ex cõsuetudine patrisfamiliâs, vel regionis & eiusmodi: usq; dum defuncti intentio, proximius ad veritatem patefieret.[9] Si verò & testamentum legitimum alioqui, septem testium signa habens, fortuito casu, vel per ipsius testatoris operã, lino toto (quo claudebatur vel inuolutum fortè erat) vel plurima eius parte incisa, repertum est, vel productum aliâs ad iudicia, propter quod sancitum est, ut si quidem testator linum vel signacula inciderit vel abstulerit: utpote eius voluntate muta ta, quòd tunc testamentum non valeat: sin autem ex alia quacunq; causa hoc cõtigerit, ut durante testamẽto, scripti hæredes ad hæreditatem vocentur.[10] Quod idem planè est, de his quæ interleta siue suprascripta inueniuntur in illis: quæ non

9 Vlpia. lib. 10. ad Sabi. in l. hæredes. §. si qd post. ff. eo.

10 Iustinia. in l. nostram. C. de testa.

ad iuris solennitatem, sed ad fidei pertinent quæstionẽ ut appareat uidelicet, utrum testatoris uoluntate ad inualidanda ea, emẽdationem meruerint: an ab altero quopiam incõsultè deleta sint, uel ab aliquo falsò hæc fuerint commissa.[11] *pro cuius uariatione fiat, ut proprio carere effectu, an uerò consequi eundem debeant. Verùm de his agetur paulò plenius suo titulo, ubi de accidentibus testamentorum reliquis, uno ordine & una consequẽtia tractabitur: hîc autem, ubi de suprascriptis & deletis mentio est habita, quæ sunt accidentia testamẽtorum redactorum in scripturam dũtaxat, non autem nuncupatiuorum: ansa & occasio exhibet sese hæc iam, ut utriusq; seu singulorum magis rationẽ explicemus, quãdo de communibus egimus hactenus, in præcedentibus. Descriptorum ergo testamentorum, seu redigendorum in scriptis,*

11 Diocle. & Maximi. in l. si unus. §. de his. C. e.

prima

prima vel regula vel obseruatio exhibet se, aut ad illa quæ testator ipse per se & sua manu scripserit, aut ad ea quæ dum dictaret ille, tabellio vel scriba quiuis alius descripserit: publicanda mox seu manifestanda testibus. Aut ad ea alioqui quæ testator profert sibi tantùm vel sibi & scriptori nota, aut ad illa quæ scriptori testibus & præsentibus quibusuis, patefiunt enuntiantur ac publicantur. Ad primum igitur, si quidem qui testantur nullum scire volunt ea, quæ in eo testamento continentur, vel alioqui scripta sunt, consultißima lege sancitum est, vt liceat per scripturam conficientibus testamentum, consignatam vel ligatam, vel tantùm clausam, inuolutamq; proferre scripturam, vel ipsius testatoris, vel cuiuslibet alterius manu conscriptam: eamq; rogatis testibus septem numero, ciuibus Romanis puberibus omnibus, simul offerre

E v signan

signandam & subscribendam: dũ tamen testibus præsentibus, testator suum esse testamẽtum dixerit, quod offertur: eiq; ipse coram testibus sua manu, in reliqua parte testamenti subscripserit: quo facto, & testibus, vno eodemq; die ac tempore subscribentibus & consignantibus, testamentum esse validũ: nec ideò infirmari, quia testes nesciãt quæ in eo scripta sunt testamẽto. Quòd si & literas testator ignoret, vel subscribere nequeat, octauo subscriptore pro eo adhibito, eadem seruari decretum est.[12] *Quòd tamen posterius ediciatur de ignaro literarum, vt talem defectum suppleat per octauum subscriptorẽ, constitutione alia correctum est, ita videlicet vt si quis sua manu totum testamentum vel codicillum conscripserit, & hoc specialiter in scriptura reposuerit, quod hæc sua manu confecit, sufficiat ei totius testamenti scriptura, & non alia*

12 Theod. & Valenti. aa. in l. hac cõsultißima. C. de testa.

ſubſcriptio requiratur, neq; ab eo, neq; pro eo ab alio: ſed ſequantur huiuſmodi ſcripturam, & literæ teſtium, & omnis quæ expectatur obſeruatio: & ſic teſtamentũ validum & codicillus, ſi quinq; teſtium literæ, teſtatoris ſcripturæ coadunẽtur, in ſua firmitate remaneant: & nemo calidus machinator, huiuſmodi iniquitatis in poſterũ inueniatur:[13] niſi fortè & quæ hîc dicuntur, intelligantur duntaxat de illo, qui ſcripſerit ipſe teſtamẽtum, cui & alius ſubſcriptor nequaquam adiungendus ſit, quando ex ſua ſcriptura, ſibi ipſe ſufficientem fidem faciat, non æquè autem vt in præcedenti, de ignaro literarum, pro quo, vt alius interueniat eodẽ edicto mãdatur. Ita vt ſalua ſit hoc modo ſingulorum vel edicti cuiuſque ratio. Ad ſecundum verò vbi teſtator teſtationem non ſcriberet ſuam, ſed tabellio, vel quiuis alius aut ſeruus etiam, quãdo hîc

13 Iuſtinia. in l. cũ antiq; tas. §. cũ autem. C. eod.

hîc licet alienus, iussu testatoris testamen
14 Modesti. in l. seruus. ff. de testa. tum scribere non prohibetur.[14] pro eiusdẽ
scripturæ ad sua accidentia differentijs,
nihil intererit, quatenus ad materiã, in
quibus scribuntur, an testamentum in ta
bulis, an in chartis, membranísve, vel
substantia alia fiat, describatur. Sed &
vnum testamentum pluribus codicibus
cõficere quis potest, seu pluribus exemplis
consignare (secundum tamen obtinẽtem
obseruationem omnibus factis) quod in-
terdum etiam necessarium est, veluti si
quis nauigaturus & secum ferre, & do-
mi relinquere, iudiciorum suorum conte-
stationem velit, vel propter alias innu-
merabiles causas, quæ humanis necessita
15 Insti. eo. §. nihil autẽ. & Florẽti. in l. unũ testa. ff. de testa. tibus imminent.[15] Descriptis porrò testa-
mentis his, à tabellione quouis, & in qua
libet materia, testamento alioqui rectè
condito, quanquàm pro nuncupatione te
stantis, minus scriptum fuerit, & desit in

eo

eo hæres esto, vel simile aliquid, consequens est (quando errore scribentis testamentum, iuris solẽnitas mutilari nequaquàm potest) existẽte hærede, legata seu fideicommissa iuxta voluntatem testatoris nihilominus oportere dari.[16] Idemq; obseruari est receptum, & in ambiguitatibus si quæ vel imperitia vel desidia testamenta conscribentiũ oriantur, vtpotè & si institutio hæredum post legatorum donationes scripta sit: vel alia prætermissa sit obseruatio, non tamen ex mẽte testatoris, sed vitio tabellionis vel alterius qui testamentum scribit: nulli licẽtia cõceditur, per eam occasionem testatoris voluntatẽ subuertere vel aliâs minuere.[17] Cæterùm & si quis legitimo modo condidit testamẽtum, & post eius confectionem decennium profluxerit, si quidẽ nulla innouatio, vel cõtraria voluntas testatoris apparuerit, sancitũ est hoc esse valid

16 Diocle. et Maximi. in l. errore. C. eod.

17 Iustinia. in l. ambiguitates. C. de testa.

validum & firmũ. Quod enim non mutatur, quare stare prohibetur? Sin autem medio tempore, contraria testatoris voluntas ostenditur (si quidem perfectissima est, secundi testamenti confectio) ipso iure prius tollitur testamẽtum. Si autem testator tantummodo dixerit, non voluisse prius stare testamentum, vel aliis verbis vtendo contrariam aperuit voluntatem, & hoc vel per testes idoneos non minus tribus, vel inter acta manifestauerit, & decẽnium fuerit emensum, tunc irritum est testamentum, tam ex contraria voluntate, quàm ex cursu tẽporali. Aliter etenim testamenta mortuorum, per decẽnij transcursionem euanescere nullo modo patiendum est, prioribus cõstitutionibus, quæ super huiusmodi testamentis euacuandis latæ fuerant,
18 Iustinia. in l. sancimus. C. eod. penitus antiquãdis.[18] Ad mobilitatem verò testamentorum prædictorum, seu scrip

ſcripturarum magis, propter quam, varijs caſibus & euentibus ſunt expoſita, amiſsioni videlicet, furto, ſubtractioni, & alijs periculis: vbi attamen teſtatoris decretum intereeſsit validum, publicati ſemel teſtamenti fides, quanuis ipſa materia in qua primùm à teſtatore ſcriptũ relictum fuit, caſu aliquo interciderit, illa nihilominus ad ſuum effectũ erit valida.[19] *Nec idcirco minus iure factum teſtamentum, ſuas obtinebit vires, ex eo quòd poſt mortem teſtatoris, ſubtractum eſſe probetur.*[20] *propter quod antiquis fortè in vſu fuerat, & lege & obſeruatione introductum, vel ad vitanda pericula iam dicta, aut vt fide probabiliore reciperentur, & exequerentur demum: vt teſtamẽta omnia cæteraq́ quæ apud officium cenſuale publicari ſolebant, in eodẽ loco reſeruarẽtur: nec vſquàm permitteretur fieri vlla translatio. Morem nãq́*

19 Alexãder a. in l. publicati. C. de teſta.

20 Diocle. et Maximi. in l. non idcirco. C. eod.

retineri volebant in his fidelißimæ vetustatis, quem si quis in vrbe immutasset, irritam videri faciebat mortuorum voluntatem.[21] *Prouidentes insuper, ac prospicientes considerate ne voluntates vltimæ deficientium, in vrbe regia confectæ, apud alium aperiri possent, quàm apud virum clarißimum pro tempore censùs magistrum, monumentis interuenientibus pro iuris ordine: néve in hæreditate cuius summa centum aureorum pretium non excederet, mercedis quicquam aut sumptuum, censum administrantes, aut cẽsualis apparitor super intimandis ijsdem elogijs auderent assequi: ac repetita promulgatione non solùm Iudices quorumlibet tribunalium, verum etiam defensores ecclesiarum, quos turpißimum intimationis genus irrepserat præmonentes, ne rem attingerent, quæ nemini prorsus hominum (secundum cõstitutio*

21 Arcad. & Honor. in l. testamenta. C. de testa.

stitutionum præcepta) quàm census magistro competebat: Absurdum reputantes, si promiscuis actibus rerum turbarentur officia, & alij creditum, seu commissum, alij subtraherent: & præcipuè clericis, quibus opprobrium est, si peritos se velint ostendere disceptationum esse forensium, pœna etiam temeratoribus præsentis sanctionis feriendis quinquaginta librarum auri. Quando concedendum non erat, vt suprema vota deficientium, euersionis quicquam, ex incongrua insinuatione contraherent, dum res ab incongruis vsurparentur audacter.[1] Cùm tamen & in his, omnium testamentorum solennitatem superare iudicaret, quod insertum mera fide precibus, inter tot nobiles, probatasque personas, etiam conscientiam principis teneret. Sicut ergo securus erit, qui actis cuiuscunque iudicis, aut municipum, aut auribus priuatorum, mentis suæ postre

[1] Iustinus. a. in l. consulta diualia, C. eod.

mum publicauerit iudicium: ita nec de eius vnquàm successiõe tractabitur, qui medijs principis, & toto iure (quod in eius scrinijs est cõstitutum) teste succedit. Nec sanè illud hæredibus nocere permissum est, & si rescripta principis, nihil de eadem voluntate responderint: voluntates etenim hominum audire volunt, non iubere, ne post sententiam eorum, inhibitum videretur commutationis arbitrium: cùm hoc ipsum, quod per supplicationem eorum auribus intimatur, ita demum firmum sit, si vltimum comprobetur: nec cõtra iudicium suum, defunctus posteà venisse detegatur. Et nequid prætermissum esse ad hæc credatur, huiusmodi institutionis, successoribus designatis, omnia quæ scriptis hæredibus competent, iussum est eos habere: nec super bonorum possessionis petitione, vllam controuersiam nasci: cùm pro hærede agere cuncta

suffi

sufficiat, & ius omne ipsa complere aditio videatur. Omnibus etenim præstandum esse censitum est, vt libero arbitrio, cui testādi facultas suppetit, successorem suum oblatis precibus, poßit declarare: & stabile sciat esse, quod fecerit. Nec institutus hæres pertimescat, cum oblatas preces secundum voluntatem defuncti, idoneis testibus poßit approbare: si ei alia nocere non possunt. [a] Quæ quidem & si in multis, & apud variæ nationis homines antiquata iam sint, ac desinant in vsu esse, propter fortè nimiarum solennitatum obseruationes: commemorare nihilominus ea visum est, ne prætermissa quæ sub hoc disponuntur titulo, generare ad defectus aliquarum legum, calumniam possent quasi obscuriora, aut per negligētiam inanimaduersa: & de testamentis in scriptis satis hactenus. Si quis autem sine scriptis voluerit ordinare iure ciuili testa-

a Honor. & Theodo. aa. in l. omniū. C. de testa.

mētum, septem testibus adhibitis, & sua voluntate coram eis nūcupata, sciat hoc perfectissimum testamentum iure ciui-
3 Instit.eod. in fin. *li, firmumq; constitutum.*[3] *In quibus attamen faciendis, omnis formalis obserua tio, penitus amputata est: ita vt postquā testes septem conuenerint, satis sit, voluntatem testatoris vel testatricis, simul omnibus manifestari, significantis ad quos substantiam suam peruenire velit, vel quibus legata dare, vel fideicommissa, vel libertates disponere, etiam si non ante huiusmodi dispositionem prædixerit testator vel testatrix, illa formalia verba, ideo eosdem testes cōuenisse, quod sine scriptis suam voluntatem vel testa-*
4 Iustinia.a. in l. in testamētis. C. eo. *mentum componere censuit.*[4] *cum modici momenti forte prædicta verba sint, quatenus ad testationem facit, pro solennitate obseruentur vt cætera, vel secus: si tamen alioqui vt conuenit, testes pro-*

prio

prio fungantur ad hæc munere: ne interim obseruationem omnem inde sublatam esse quidam existiment: Quando per nuncupationem quoque hoc est sine scriptura, testamenta non aliâs valere sanciatur, quàm si septem testes (vt suprà dictum est) simul vno eodemq; tempore collecti, testatoris voluntatem, vt testamentum sine scriptura facientis audierint.[5] *Ita vt in reliquis præter minutiora quædam commemorata, ad eandem normam par sit horum & illorum, quæ in scriptis fiunt ratio: perenniora tamen, durabiliora ac certa & tuta magis illa quæ per scripturam, monumentis in longam posteritatem mãdantur: quàm quæ verbo seu dicto simplicis velut in aurem animis testium ad breuem vitam creditur: vnde fit pariter, vt quibus postremorum suorum iudiciorum cura est aliqua, delectus adhibere debeant*

5 Theod. & Valent. aa. in l. hac cõsultißima. §. per nũcupationem. C. de testa.

 in

in his tales, ut potioribus committant magis quàm momentaneis, & quæ varia ac leui occasione excidũt. Verùm forma seu modo communiore testandi, descripto in præcedentibus hactenus., vel quid inter testandum pro communi lege obseruari conueniat, ad validitatem & cõmodam vel rationabilem & æquam huius operis dispositionem vel prouidentiam quomodouis, nihil de collatione bonorum vel translatione facultatum testantis tractatum adhuc, vbi de accidẽtibus aliquot ad ipsam testationem adnexis vel dependentibus ab ea visum fuerit, testabitur in sequentibus testator mox, conferet suæ substantiæ dominium, instituet, substituet, legabit, fideicommittet: vsque dum opere absoluto, nihil iam supersit ad integram testationem reliqui.

FINIS.